

et litteras confirmationis praesentis nostri decreti ad omnes palatinatus pro conventibus particularibus per suos nuntios transmittere in manus nobilitati in conventibus praefatis particularibus proxime celebrandis congregatae dare realiter et cum effectu. Cui promissioni nostrae nos pro debito nostro satisfacere spondemus et easdem litteras confirmationis praesentis decreti expedire nos obligavimus. In cuius rei testimonium¹.

III. PROMISSIO CONSILIARIORUM REGNI FACTA NUNTIIS MILITARIUM IN CONVENTU PIOTRCOVIENSI DE OBTINENDA A REGE EXECUTIONE STATUTORUM

Nos praelati, barones et procures ordinis utriusque Regni Poloniae consilarii in conventu generali Piotrcoviensi de mandato Sacrae Maiestatis Regiae, domini nostri clementissimi, congregati praesentibus testati facimus, quod cum terrarum nuntii nonnullos articulos in medium proposuissent, qui secundum iura et constitutiones regni executione indigerent exigerentque a nobis, ut ipsos articulos et alia omnia, quae in statutis et constitutionibus regni tam antiquis quam novis, in conventionibus generalibus laudatis et approbatis, continerentur neque debito modo observarentur, ad effectum executionemque deduceremus. Nobis vero integrum non fuerit aliqua alia, quae potissimum ad auctoritatem Sacrae Maiestatis Regiae pertinerent agere et constituere, nisi de speciali eius Maiestatis mandato, quo in praesens careremus, nolentes nihilominus iustis petitionibus ipsorum dominorum nuntiorum et reipublicae publicisque iuribus et bono statui regni deesse fidemque adhibentes, quod Maiestas sua regia, uti princeps iustissimus et clementissimus et iustas subditorum suorum preces exaudire iuraque et consuetudines regni secundum iusiurandum suum observare et manutenere nunquam recusare dignabitur. Quemadmodum, quantum in ipsa est, hactenus observare et manutenere consuevit, polliciti sumus et tenore praesentium pollicemur ipsis dominis nuntiis terrarum, nos una cum illis in futuro conventu generali, ubi Maiestas regia aderit, omni opera et diligentia nostra fideliter et suppliciter agere apud eius Maiestatem ut omnia, quae in iure et constitutionibus regni tam veteribus quam novis, in conventionibus generalibus laudata et approbata continentur neque debito modo observantur, ad pristinum robur firmitatem et executionem per Maiestatem suam reducantur. In cuius rei testimonium¹.

IV. LITTERAE RESTIUM

A. ^aLitterae primarum restium^a.

Universis et singulis palatinis, castellanis, dignitariis, officialibus, terrigenis, nobilibus, advocatis, scultetis et civibus ceterisque cuiuscunque status, condicionis et praecminentiae subditis nostris, bona quaecunque terrestria hereditaria et obligatoria possidentibus et ad expeditionem bellicam generalem de iure vel consuetudine regni nostri obligatis, sincere et fidelibus dilectis gratiam nostram regiam. Magnifici, generosi, nobiles et famati sincere et fideles dilecti! Etsi hic sumus rebus Lituanicis vehementer occupati, nunquam tamen intermittimus solliciti esse de prospero Regni nostri Poloniae rerum statu. Eam ob rem indixeramus generalem regni conventum Piotrcoviae ad festum sanctae Catharinae [25 XI], ut ibi de defensione publica in medium consuleretur atque constitueretur. Verum ibi nescimus, quonam impulsu, nulla pecuniaria defensio, sed generalis motio belli decreta est. Quum ergo sciamus multos esse undequaque hostes, qui in perniciem regni nostri parati id solum expectant, ut id defensione destitutum securi invadant,

^{a-a} *W MRPS, cz. IV, vol. 3, nr 17967, s. 32, tekst ten nosi tytuł: Litterae regie primarum restium, ut ad bellum omnes parati sint.*

¹ *Brak daty. Dokument ten pochodzi z grudnia 1535 r.*

¹ *Brak daty. Dokument ten pochodzi z grudnia 1535 r.*

mandamus vobis hisce primis restium litteris, ut ad bellum ab equis et armis pro debito vestro parati sitis ita, ut quum vobis ultimis restium litteris significaverimus, sine omni mora, ad eum diem atque locum, quem ultimis illis litteris constituemus, proficiscamini, sub ammissione omnium bonorum. Illud etiam mandamus sub poenis nostris regalibus, ut has litteras unusquisque vicino suo porrigat, ultimus vero ad capitaneum loci referat, aliter non facturi pro gratia nostra. Vilnae, quinta Ianuarii, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo sexto [5 I 1536], regni vero nostri anno vigesimo nono. Ad mandatum Sacrae Regiae Maiestatis proprium.

B. ^bSecundae restes^b.

Sigismundus etc. Universis etc. Mandavimus vobis antea primis restium litteris, ubi ab armis et equis ad bellicam expeditionem generalem parati essetis. Nunc iterum secundis restibus etiam atque etiam^c mandamus omnino, ut bene rebus omnibus ad bellum necessariis instructi sitis ita, ut quum tertia adhuc mandata nostra acceperitis, ad locum et diem in mandatis a nobis constituendum tempestive adsitis sub poena ammissionis omnium bonorum. Has quoque litteras, ut alius ad alium viciniorem sine mora transmittatis, ultimus vero ad praefectum loci perferat, mandamus sub poenis nostris regalibus, nec aliter faciatis pro gratia nostra. Vilnae, decima Ianuarii, anno Domini M^oD^oXXXVI^o [10 I 1536], regni nostri anno vigesimo nono. Ad mandatum Sacrae Regiae Maiestatis proprium.

C. ^dTertiae restes^d

Sigismundus [etc.]. Universis et singulis palatinis, castellanis, dignitariis, officialibus, nobilibus, terrigenis, advocatis, scultetis, civibus, ceterisque subditis nostris cuiuscumque status, sexus et conditionis, bona quaecumque terrestria hereditaria et obligatoria possidentibus ad expeditionem bellicam generalem de iure vel consuetudine regni nostri obligatis, sincere et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam. Magnifici, generosi, nobiles et famati, sincere et fideles dilecti! Mandavimus vobis ante hac binis restium litteris, ut ab armis et equis bene parati essetis, sit ut quum tertia mandata ad vos dedissemus^e, expediti ad locum constitutum ad generalem bellicam expeditionem proficisceremini. Quare nunc iam mandamus vobis etiam atque etiam universis atque singulis, ut pro suis quisque facultatibus armis, equis et comitatu instructi, ad id ipsum bellum proficiscamini et in crastino sancti Ioannis Baptistae [25 VI 1536] ad oppidum nostrum Gliniany omnes adsitis. Civitates quoque et oppida pro debito suo curru commeatu onustos eo mittant. Ac ne quid eius, quod de bellica expeditione vel moribus, vel legibus atque constitutionibus regni sancitum est, praetermitteremus, indicimus particulares conventus vobis in terra et districtu^f habitantibus in^f ad diem^f. Quo volumus, ut omnes conveniatis et cum castellanis vestris ea, quae statutis continentur, diligenter constituatis atque illi quoque vobiscum idem faciant, ut sic deinceps secundum constitutionum praescriptum proficiscamini. In profectione vero mandamus iterum atque iterum, ne cuiquam vel spirituali vel cuiusvis alterius ordinis et condicionis homini, neque nobili neque subdito cuiusquam vim afferatis iniuriamve faciatis, aut quae ad victum pertinent, praeter consuetudinem et statutorum praescriptum eripiat. Genere enim et absque ullo laxamento de iis, qui huic mandato nostro et statutis non paruerint, poenas sumpturi ac nimiam licentiam refrenaturi sumus. Quoniam autem petiverunt a nobis plerique consiliarii nostri suo ac nobilitatis nomine, quod haec bellica expeditio gravis et molesta ferme omnibus futura esset hoc tempore, propter magnam rerum omnium caritatem et penuriam, qua prope universum Regnum Poloniae laborat, ad haec etiam cum periculo coniuncta, quod ii, qui Ungariae, Slesiaeque vicinas habent possessiones, verentur, ne se absentibus domus suae latrociniis infestentur uxoresque et liberi oppugnentur. Has ob causas, quoniam petiverunt a nobis,

^{b-b} *W MRPS, cz. IV, vol. 3, nr 17972, s. 32, tekst ten nosi tytuł: Litterae regiae secundarum restium.* ^c tam w rękopisie.

^{d-d} *W MRPS, cz. IV, vol. 3, nr 18027, s. 34, tekst ten nosi tytuł: Tertiae litterae restium quoad diem et locum fenestrateae.*

^e *Lub: dederimus.* ^f *Tu i dwukrotnie niżej w rękopisie pozostawiono wolne miejsce.*

permitteramus, ut ipsis de defensione constituenda inter se consultare liceret, etsi non temere mutare solemus ea, quae publico omnium ordinum consensu in generali conventu decreta sunt, tamen ne prorsus illorum petita reiiceremus et quod videmus pro utile atque adeo necessarium esse, hoc illorum consilio annuimus, ut ea de re inter vos indictis particularibus conventibus in medium consulatis, quomodo vobis domi manentibus respublica milite mercenario commode defendi possit atque ea de re ex districtu vestro nuntium cum summa pleneque potestate ad terrestrem conventum, quem in^g ad diem^g constituimus, mittatis. Sic ut si de alia defensione conveniri concordia sententia non poterit, ad bellicam istam expeditionem, ad locum atque diem constitutum nihilominus proficiscamini sub poena ammissionis omnium bonorum. Has autem litteras alius ad alium vicinum transmittatis, postremum autem ad praefectum loci referat, sub poenis nostris regalibus. Vilnae, VI^a Martii, anno Domini M^oD^oXXXVI^o [6 III 1536]. Ad mandatum.

V. LITTERAE UNIVERSALES CONTRIBUTIONUM PUBLICARUM IN ULTIMO CONVENTU COLENSI DECRETARUM

Sigismundus etc. Universis et singulis ecclesiasticis et saecularibus consiliariis regni nostri ceterisque subditis nostris quibuscumque, tam terrestribus quam civitatum et oppidorum, honoribus et officiis insignitis, ad quorum notitiam praesentes litterae nostrae pervenerint in toto regni palatinatibus et eorum districtibus consistentibus, sincere et fidelibus nobis dilectis, gratiam regiam. Reverendissimi et reverendi in Christo patres, necnon magnifici, generosi, nobiles, famati et providi, sincere et fideles nobis dilecti. Cum in praeterito generali conventu Piotrkoviensi¹ nihil aliud pro defensione regni constitutum erat, praeterquam, ut expeditio generalis, ubi opus foret, per nos moveretur, et nos imminentibus regno duobus inimicis Thartaris videlicet et Valacho, ne regnum manifesto periculo exponeremus, iam tertias restium litteras emisseramus et conventus debitos deordinandi proficiscendi ad bellum statueramus in ipsis conventibus, petitiq^{ue} a multis consiliariis et subditis nostris, facultatem dederamus aliam defensionis rationem ineundi, quam generalem expeditionem hoc tempore perniciosissimam, cum propter alia incommoda, tum ob summam rerum victualium, praesertim in terris Russiae penuriam, universi consilarii et terrarum nuntii in ultimo conventu Colensi, ad quem huius rei conclusio devoluta fuit, contributiones infrascriptas pro defensione anni praesentis unanimiter statuerunt et decreverunt.

In primis decretum, quod coloni seu kmethones, tam villarum nostrarum regalium quam omnium spiritualium et saecularium subditorum nostrorum in regno nostro, de singulo manso seu laneo possessionato octo grossos, et reliquum de quantitate laneorum, secundum antiquas quietantias ad unam duntaxat ratam, videlicet pro festo sancti Laurentii proxime venturo [10 VIII 1536] solvent, a quo festo solutio illorum inchoari, et ad festum sancti Egidii [1 IX 1536] in totum et per omnes terminari et finiri debet.

Nobiles vero, qui colonos seu kmethones non habent, solvent quilibet eorum de quolibet laneo seu manso grossos sex, etiam pro una similiter praedicta rata.

Illi vero nobiles, qui praedia et non laneos habent, computatis istiusmodi eorum praediis in laneos seu mansos solvent pro una etiam rata, de quolibet laneo seu manso sex grossos, de medio laneo seu manso tres grossos, de quarta parte lanei unum grossum cum medio, et reliquum de quantitate laneorum. Similiter de villis desertis per dominos nobiles cultis pro praedicto festo.

Ubi autem duo vel tres aut quattuor pauperes nobiles unum laneum seu mansum colunt, solvent omnes simul de huiusmodi laneo seu manso etiam pro una praedicta rata sex grossos, alias quisque illorum solvet secundum quantitatem agri et portionem lanei seu mansi, incipiendo solutionem illius a festo sancti Laurentii ad festum sancti Egidii proxime venturis.

^g *Tu i niżej w rękopisie pozostawiono wolne miejsce.*

¹ *Mowa o sejmie walnym piotrkowskim 1534 r. Por. wyżej, nr XLIV.*